



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Decretum. IX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11399**

fecit orate: vt hereticorum feritate cō-  
pressa, Flandriæ status diuino munere,  
& pacis & fidei catholicæ integritate  
semper exulter.

Decretum. IX.

De promul.  
Conc. prou.  
4. & 5. in  
synodo fa-  
cienda.

QVOD antiqui instituti est, id etiã  
nostris decretis cauimus, concilia pro-  
uincialia in synodo diocesana proxima  
promulgari ac legi.

Cum igitur nuper Concilium prouin-  
ciale & quartum & quintum edideri-  
mus, illud expedire visum est, vt in hac  
ipsa synodo septima, quæ vtriusque edi-  
tioni proxima est, vnum & alterum ite-  
de verbo ad verbum legatur.

Decretum. X.

De Breui-  
rio & Calen-  
dario exhi-  
bendo.

EDICIMVS, & iubemus, omnes  
& singulos, qui diuini officij recitandi  
lege adstricti sunt, Breuiarium & Calen-  
darium hodie in sessionem afferre, ijsq;  
exhibere, quos recognitioni cleri præfe-  
cimus, notato in vtriusque initio nomi-  
ne & cognomine possidentis.

ALTERO DIE SYNODALI.

Oratio mentalis quinque partita enun-  
ciata his verbis.

**F**Ratres charissimi. In omni actio-  
ne nostra induamur iustitia. eri-  
gamus igitur animos & corda nostra de  
uotè ad Deum: & ab eo interna mentis  
oratione hæc religiosè precemur.

Vt impleamur agnitione volūtatis eius  
in omni sapientia & intellectu spiritua-  
li, dignèq; ambulemus vocatione, qua  
uocati sumus: ita vt in omni opere bo-  
no nos fructificantes, & crescentes in  
scientia Dei, quotidie perfectiorem ius-  
ticiam esuriamus & sitiamus.

**2** Fratres charissimi. Toto cordis af-  
fectu orate: vt in omnibus operibus Dei  
veloces simus: nec fastidiosè, sed graui-  
ter, ac strenuè in vinea eius laboremus.  
Scriptum est enim: [Maledictus homo,  
qui facit opus Dei negligenter.

**3** Fratres charissimi. Toto cordis af-  
fectu orate: vt spiritu ambulemus; de-  
sideria carnis nunquam perficiamus; af-  
fectus prauos perpetuò deseramus;

[semper mortificationem Iesu Christi  
in corporibus nostris circumferentes,  
vsque adeo, vt vita eius manifestetur in  
corporibus nostris.]

**4** Fratres charissimi. Toto cordis af-  
fectu orate: [vt quæ sursum sunt, vbi est  
Christus Dominus, in dextera Dei se-  
dens,] quæramus, & sapiamus: [Omnia  
verò mundi huius tanquam stercore ar-  
bitrantes,] abundemus in diuitijs ùmpli-  
citatjs, bonæque conscientia, & opibus  
gratiæ atque gloriæ nostræ.

**5** Fratres charissimi. Toto cordis af-  
fectu orate: vt in omni humilitate, &  
mansuetudine ambulemus: vt solliciti  
seruare vnitatem spiritus in vinculo pa-  
cis, & Christi Domini [iugum suauè, &  
onus leue,] patienter portantes, demum  
hæreditemus cœlestem terram viuē-  
tium, & in multitudine pacis æternæ  
delectemur.

Demum absoluta est synodalis pro-  
mulgatio Concilij Prouincialis quarti:  
in cuius promulgationis fine Cancellar-  
ius alta voce dixit. CONCILIVM  
PROVINCIALE IIII. Cui qua-  
dam ecclesiastica acclamatione à clero  
vniuerso responsum est: [Deo Patri mi-  
sericordiarum, & Deo totius consolatio-  
nis gratiæ.

Decreta porrò, qua stata sunt de exa-  
minatoribus, de iudicibus, de testibus  
synodalibus, explicatè tradita sunt mox  
supra in synodo VI.

DIE SYNODALI IIII.

Concilium Prouinciale quintum de mo-  
re promulgatum est; cui promulgationi  
clerus synodalis vniuersus acclamauit,  
vt supra.

Decretum

De indictione synodi VIII. futuræ.

**A**VXILIANTE Dei misericor-  
dia, synodum diocesanam octauã  
anno sequenti M. D. LXXXI. die xij.  
mensis Aprilis in hac ipsa nostra Metro-  
politana Ecclesia ad præscriptum Con-  
cilij Tridentini de more celebraturi su-  
mus; nisi per nos, aut Archiepiscopali  
nostra auctoritate aliter indictum erit.

Oratio